

1403

I C O D I C E S

1404

16. c. scripta videlicet ista: *Gloria domini apparuit in nube. &c.* Praecedente multo brevior.

VI. fol. 95. Ipsa Jacobi Interpretatio, cuius ingressus: *Quatuor sunt minima terre et ipsa sunt sapienciora sapientibus. Prov. XXX. Septem epistole que canonice id est, regulares nuncupantur edite sunt a quatuor apostolis &c. et finis: et sic ab eo recipietur in gloria, cuius participes nos efficiat dominus &c.*

DCXXIII.

U. 224 Codex chartaceus lat. Sec. XV.
Folior. 326. 4. paene totus manus illius exaratus est, quem Titulus praefert: *Tractatus contra bohemos Magistri thome ebendorfer de haslach arcium et sacre page professoris et plebani in Perichtol-starff et canonici ad sanctum Stephanum in Wyenna.* Additur: legatum ab eo fuisse testamento ad collegium beate M. virginis domus rubree Rose apud fratres predicatorum Wien. Comparet vero I. Posicio Boemorum per M. Jobannem de Rokiczana 1433. III. post Epiphaniam. Nempe Basileae in Concilio. Init: *Cum super omnia desideramus honorem dei &c. et extat T. IV. Suppl. Mansi ad Collect. Concill. col 443.* Margini Haselbachius adscripsit: *Cause et vide caute.*

Fol. 20. p. 2. Tractatus Thomae Haselbachii minio inscriptus: *In Concilio Basiliensi. in vacacionibus pasce 1434. et ad calcem: Finitur*

Reprobacio questionis contra Rokiciana et Boemos de utraque specie eucharisticie scisma in ecclesia constituentes et se pertinaciter in fide ab ea separantes. In die parastaeue Basilee in Concilio 1434. Initum est: Professio me incitat et zelus fidei et domus dei perurget aduersus hec impia dogmata Boemorum vibrare clipeum ex testimonij in eternum fundatis glutinatum succinatus fundando contrarium et motu dissoluendo, que coram sandissimo ceto huius sacri Concilij quidam Boemorum nomine non erubuit deducere in medium tanquam ipse solus norit abscondita misteriorum et fidei patefacere archana. — Quamvis ergo in hac re quondam contra Jacobellum — tractatum quendam legendu in scolis ediderim, in quo diffusius processi per plura capitula, tamen — manipulos colligere decreui post terga metentium &c. Haselbachium ab Academia Vien. cuius Orator erat, jussum fuisse a. 1433. se Communione sub utraque obponere, habemus in ejus Vita P. I. Scriptt. Univ. p. 150. Mirum tamen videatur, Rokiczanam integro post anno ab eo refutari, nisi sit error in anno, quod admittere difficile est, cum annus 1434. bis memoretur. Theologum cetera praestantem, et in Patrum lectione versatum confirmat haec Tractatio, quam, ut et illam contra Jacobellum, a nemine haec tenus indicatam novi. Ceterum per errorem Compactoris inserta est illi a fol. 55—58. alia, quam igitur seorsim adfero.

Fol.

1405

P O L E M I C I .

1406

Fol. 55. Hec in Iglaui in quadam collatione concepta sunt.

1446. Inscribuntur in hunc modum: Dubitatur incidenter propter sequentia, Vtrum sit convenientissimus modus sacram Eukaristie sacramentum ministrare laycis sub specie panis duntaxat et non sub duabus speciebus. Adfirmatur. Haselbachium hoc anno Iglaiae fuisse nemo memorat.

Fol. 70. p. 2. Tractatio, cuius scopus patet ex ipso initio: Particulam de punizione peccatorum publicorum secundo loco proposuit quidam Nicolaus vocatus Episcopus Taboritarum &c. Hunc igitur pariter prolixe refutat Noster.

Fol. 95. Tertius Articulus Boemorum proponebatur per VL ricum de Znoyma Basilee in generali Concilio. Est is de libertate praedicandi Verbi Dei, cum Responso Haselbachii.

Fol. 106. Articulus 4^{us} De proprietate cleri. Propugnat hunc Petrus Payne Anglus ominosi Vir cognominis. Impugnat Haselbachius hoc initio: Ne veluti agrestis hospes illotis manibus ad mensam dominicam accedam &c. En igitur IV. Hussitarum Articulos a Quatuorviris Basileae in Synodo longis Positionibus, quarum duas editit Mansius Suppl. T. IV. ad assertos, et a Viris totidem, Johanne de Ragusio, Aegid. Carlerio, Henr. Kalteisen et Job. Polemar, quorum Orationes habes Labb. T. XVII. refutatos, a solo Theologo nostro ad examen revocatos, quem ejus laborem nullibi memoratum

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

reperi. Accedit vero fol. 143. Mantissa hoc initio: Concluso hoc Opusculo taliter qualiter — insurgebat questio deducta in medium per quendam Artifastam pragen. pro nunc Ecclesie incorporatum, quam alias visus est persequi, que sit videlicet diffinitio Ecclesie, de qua verificari possint omnia, que in sacris scripturis dicuntur de eadem &c. Atque hic refelluntur, qui Ecclesiam ad coetum solorum Electorum coarctant. Ad hunc finem addita etiam videtur.

Fol. 147. p. 2. Epistola sancti Cypriani de katholice Ecclesie unitate. Init illa: Cum moneat dominus et dicat: Vos estis sal terre, cumque nos esse iubeat ad innocentiam simplices &c. ut Edit. Amst. 1700. p. 75. ubi inter Libros collocata est.

Fol. 156. absque inscriptione Adlocutio Nostri nomine Decemvirum Pragam a Concilio Basil. a. 1433. ablegatorum, cuius Thema: Gratia vobis et pax multiplicetur. I. Pet. 1. initium vero: In iungunt exhortacionis verbum mihi semiuerbio Reuerendissimi mihi in christo patres et alij coambasatores sacrosancte generalis Basiliens. synodi in spiritu sancto congregatae, verbum inquam genuine caritatis, concordie et unitatis, pacis et tranquillitatis ad vos circumspectos et prouidentissimos viros dominos Magistrum ciuium scabinos et alios inclite nove ciuitatis pragensis incolas, quam preclaram fecit in orbe olim in ea residens Imperiale fastigium &c. Multus est in excerptis Palomarii, Bernerii, Tockii &c.

T

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1407

C O D I C E S

1408

&c. Sermonibus hac occasione habitis *Cochlaeus L. VII. Hist. Husit.* Nostrum non tangit. Et tamen sequitur

Fol. 158. alia Oratio *Per Thomam de Haslpach prage 1433.* cuius Thema: *In mansuetudine suscipite infirmum verbum. Iac. 1.* et initium: *Oblatam nudius tertius pacis, unitatis et concordie viam vice et nomine sacrosancte generalis Synodi Basiliensis in spiritu sancto pro eliminatione errorum, reformatio ne morum et pace christiani populi legitime congregate difficultari percipimus ob plura, que fortassis timoratis mentibus hesitationem ingerunt &c.* Omnibus modis agit, ut Regni Ordines se Concilio jungant, et ejus effatis adquiescant. Sincere et lenissime ex parte Legatorum processum fuisse, expensis eorum Dictis et Scriptis manifestum est.

Fol. 162. 1) *Saluus conductus pro Illusterrimo domino duce Austriae.* Datus est a Magistro Civum, Consulibus, Juratis &c. *Pragensibus anno D. 1433. feria 4. post Festum Trinit.* a qua die valiturus eslet usque ad *Festum S. Michaelis pro XX. Personis et totidem equis ad Conventum Alberti nomine mittendis.* 2) *Similis Conductus pro iisdem datus a Capitanis Exercituum, Baronibus, Nobilibus &c. Regni Bohemiae et Marchionatus Moraviae,* 4. feria proxima ante *Festum Corporis Christi 1433.* 3) *Cedula bohemorum oblata in praga Ambasatori bus Concilii 1433.* Circa IV. suos Articulos, instar Formulae, quam

volebant a concilio ad se dirigi, unde etiam incipit: *Synodus Basiliensis prouida consideratione prospiciens &c.* Sed repudiarunt eam Legati, ut infra Nr. 5. narratur. Interea tamen sat concordat cum *Intentione Sacri Concilii*, quam *Mansius Suppl. T. IV. col. 903.* edidit, et cum *Compaetatis Pragae tandem ult. Nov. 1433.* initis, ut habentur apud *Cochlaeum cit.*

Fol. 163. Acta diplomatica Congregationis *Pragensis anni MCCCCXXXIII.* manu *Haselbachii* adnotata. 1) *Traetatus habitus cum Boemis in generali congregatione regni Prage Anno 5°c. 33. die ipsa Jamdissime trinitatis per ambassatores Sacri Concilij Basiliensis.* Procedit Narratio ab adventu Legatorum, quorum nomina recensentur, ut a *Cochlaeo*, nisi quod *Alexander J. V. D. Anglus* dicatur *Archidiaconus Sarisber.* Integro mense terminum praevenerant, quo nil nisi de obtainendis *Salvis Conductibus actum*, quorum Exempla supra vidimus. *Termino adueniente*, continuat Noster, fuiimus per ciuitatem pragensem antiquam omnes cum familia inuitati et laute pertraetati, post per Mag. ciuum, post per Magistros in collegio, tandem per taboritas, et post per dominum (Mainardum) de noua Domino, posterius vero per orphanos in curia Domini Regis in noua ciuitate. Dein recenset primas Allocutiones habitas, et *Augustanum Ep.* ait suafuisse concordiam certis motiuis, que cum alijs sibi posita sunt per me. 2) *Responso Proco-*

pii

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1409

P O L E M I C I .

1410

più Holi (Calvi, rasi) facta in die
sanctorum Marci et Marcelliani
Prage in lectorio Theologorum
1433. ex parte Taboritarum, su-
per eo, quod diximus: Quantum
bellis profecimus, usque modo vi-
demus. Conspectum hujus Respon-
si dedit Cochlaeus L. VII. Init:
*De materia bellorum novit, qui
nil ignorat &c.* 3) *Responsio Ba-
ronum militum clientum ac commu-
nitatum Regni Boemie et aliquo-
rum Marchionatus Moraue Die
qua supra scilicet 18. Jun. in loco
prenominato.* Init: *Cum duo com-
mendata per paternitates reueren-
tiasque vestras &c.* Duriorem vo-
cat et excerpit Cochlaeus cit. 4) *Replicatio Responsio Ambasato-
rum &c.* Init: *Communis omnium
vox est &c.* Enotatur a Cochlaeo
cit. et Johanni Polemar tribuitur.
Addit ad calcem Noster: nil ad
eam replicatum, sed exeuntibus e
Congregatione Chartam in manus
datam fuisse, qua priora Bobemo-
rum proposita repetebantur. 5) *Resumitur Narratio a 21. Jun.* us-
que ad discessum Legatorum con-
tinens varias IV. Articulorum dis-
cussiones tam publicas, quam pri-
vatas, querentibus Legatis: *Quan-
tumcunque tractatum incipimus,
semper reducimur ad primordia sci-
licet ad articulos, quorum deter-
minatio iam de communi voluntate
suspensa est, et rotamur sicut pi-
la, fitque de nobis ludus.* Finis:
*In profecto sancte Margarethe ar-
ripiimus iter a Praga versus Ba-
silieam et in profecto inuentionis
sancti stephani eandem in ponte be-
ne compluti intrauimus.* 6) *Hec est*

*steuera imposta Monasterijs quam
ad minus semel dabant in anno.*
Enumerantur Monasteria XXIX.
quorum, quae plurimum pende-
bant, Brunouia et Chotiesow,
300. videlicet Marcas, Beata au-
tem Virgo nempe Melitensium,
330. eodem modo Steura Civita-
tum recensetur, quarum potissi-
mae Pilsna 260. Czasslauid 220.
Budweis et Luthomircz 200.
Marcarum. 7) *Sententia reuoca-
tionis lapsorum et ad fidem hussita-
rum conuersorum.* Dolet nempe
Sacerdos, se haetenus non distri-
buisse communionem sub utraque
Specie, idque se deinceps factu-
rum promittit. Addit Haselbachius
notam: habuisse se Pragae in
manibus Bullam Caroli IV. eri-
gendi Vniuersitatem Pragensem
datam Anno 1348. (non 47.)
Septimo idus Marcij, quam des-
cribit, subjiciens: *Sed Bullam
confirmationis pape (Clementis
VI.) dicebant se perdidisse, et post
multa scrutinia non potuisse inve-
nire etiam ante 20. annos.* Sed ex-
stat et haec in Archivo Universit.
ut habes Balbini Bob. docta P. I.
edit. 1776. p. 5. 8) *Finalis pro-
positio Boemorum in generali con-
gregacione 1433. ipsa die Tibur-
cij Mart. 11. Aug. post Laurencij
in Basilien. Concilio per suos Am-
basatores proposita.* Ut apud Labb.
T. XVII. col. 586. 9) *Motua
Thome de haslach.* Contra Com-
munionem sub Utraque privatim
in chartam conjecta. 10) *Delibe-
ratio Ejusdem de Eadem 1433.
Basilie inter deputatos super ista
in Refectorio Minorum. Incipit:*

T

2

Dum

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1411

C O D I C E S

1412

Dum crebrius in hac boemorum causa libenter et complacenter silentio agerem, malens ex causis audiē, quam audiri, nedum in via et in praga &c. Inter alia: Fere per totum regnum sine confessione cruentis adhuc ensibus cottidie contendunt ad sacram eukaristiam accedere, quare, quia quo plus accedunt, tanto apud sacrificios suos sacerdotes et communiter apud Capitaneos et eorum complices amplius laudibus et fauoribus elati sunt et promoti. — Deprehendi certissime multos timore pene, aut rubore accedere, clamante sacerdote: Ecce cena parata est, digni accendant, alijs accendentibus, ne ipsi veniant in suspicionem; sed et fassione propria aliquorum didici, cum conscientia peccati mortalis accedunt, et ab utroque, ymo et ab uno abstinere essent contentissimi &c. 11) Cedula du&ta in consultationem deputatorum 24. in materia ista Boemorum. De promissionibus faciēndis circa usum Calicis, si velint Concilio sincere subjici, de mittendis ad eos Legatis, de potestate his conferenda &c. 12) Conclusum hujus consultacionis, sive Cedula per Deputatos data et Ambasioribus ad Boemiam tradita. Praescribitur Legatis norma agendorum. Init: Sacrum concilium tanquam pia mater cupiens reparare filios &c. Ad calcem: De mandato R^{mi} D. Legati presidentis &c. 13) Forma trium articulorum (absque illo de calice) missorum per Ambasatores (secundo Pragam redeuntes) ad Boemiam. 1433. 5. Septembr.

Init: Circa materiam de coabitione et correptione &c. et legitur Labb. cit. col. 205. 14) Hec sunt Compa&tata Concilij Basilien. cum Boemis. Nota illa Pragae 1433. concepta, stabilita vero Iglaviae 1436. et hic quidem additis Declarationibus, quae apud Cochlaeum Compa&tatis p. 271. succedunt p. 284. Adjectus est in Cod. longus nominum Elenchus inscriptus: *Isti sunt Barones et Nobiles Regni Bohemie et de Marchionatu Moravie Congregati in congregacione prage habita 1433. in dieta sancti Martini.* Atque hos inter, quorum stirpes hodie florent.

Fol. 192. Res Anni MCCCC-XXXIV. 1) Copia Bulle misse per Martinum presbiterum in Crudim et przsko famulum de praga 1434. Data est ad Alexium sive Alsonem de Risenburg Gubernatorem. Gaudet Concilium de Compa&tatis, optat tamen ea fidelius impleri et de Pilsnensium obsidione queritur. Basilee V. Kal. Marci. Martinus ille Calicem ursurus ad Concilium venerat. 2) Narratiuncula de Praga a Meinhardo de Nova Domo capta, Pilsnensi obsidione soluta, caefis Taboritis et Orphanis, inter quos et proco-pius boli, qui et rafus dictus est, et alter peruersior proco-pius minor spiritus emiserunt non hac morte sua digna factis suscipientes. Ferunt, quod nocte precedenti sacramentum in quatuor exercitibus suis in papilionibus reseruatum visitabiliter ceciderit cum archulis suis in terram, quod mane cernentes et

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1413

POLEMICI.

1414

et altrinsecus referentes, quod famum est mali ominis sue videlicet arche captiuitatis fore id nuncium presagierunt. 3) Ambasiam quartam ad Bohemos. Incipit: *Anno quo supra (1434) Die ipsa beati Iohannis Baptiste facta est generalis congregatio regni in praga ibique decreuerunt solennem mittere Ambasiam ad Ciuitatem Ratisb. ad habendam Dyetam cum Inuictissimo Romanorum Imperatore desiderante suam pariter et Ambasiorum sacri Concilij presentiam ad diem Assumptionis gloriose semper virginis Marie, quod et factum est. &c. Legatos Concilii intrasse Ratisbonam 16. Aug. et infra horae spatium Bohemos, quorum Nomina paullo aliter et plura recitantur, quam apud Pessinam Martis Morav. L. V. c. 5. Czenko de Wartenberg nobis Henricus est; et quem Exteri Choapchonem scripsere, nobis Czapko id est cyconia Capitaneus Orphanorum. Ad Martinum Presb. de Gurim additur: *Qui tamen a regno non fuit deputatus sed intrusus, et aliis nominatus M. Marcus de Grecz exclusus.* Imperatorem advenisse 21. Aug. in pluvia, et altera die vocatos Legatos. Sigismundus ad partem dixit nobis divisionem eorum inter se, et quod Czapko cum Baronibus concordare noluit. Mox subintrasse Bohemos Rokyczana orationem sua lingua in illud Evang. *Vade et tu fac similiter, auspicato, cui eadem lingua respondit Imperator: Se natum in regno et in praga. Si de popularibus agitur, ipse ex istis est; succedit enim ei**

T

3

(vulgo Primislao) qui de aratro in villa quadam in bohemia ad ducatum electus est; si de maioribus, scitur, quod de luczelburg ad regnum istud vocati sunt sui progenitores. Incepere mox collationes inter Partes, quas minutim persequi non est instituti; intercurrunt tamen: 4) Cedula Boemorum ad Imperatorem, qua Calicem urgunt, et longiores tractationes declinant. 5) Cedula responsonis ad premissa 24. Aug. Domini Imperatoris, qua cupit negotia scripto tractari, et hortatur ad concordiam. 6) Declaratio Bohemorum, quod, cum res Ratisbonae penitus confici non potuerint, habendus Regni Conventus in die S. Galli, et Responsum finale in die S. Martini apud Consulatum Egensem deponendum. 7) Responsa data a Job. de Polemar Auditore praecipue de Archiepiscopatu Prag. quem ambiebat Rokyczana, 1434. 26. Aug. Ad calcem: *Hec sunt facta in presentia Domini Imperatoris in horto fratribus predicatorum, ubi aderat D. Episcopus Constant. et Augusten. et dictus D. Auditor cum M. Henr. Tocke, et de Boemis erat D. Menhardus de noua Domo, Wilb. Kostka, Nic. Sokol, Job. Velbar et duo Magistri Job. de Rokyczano et Procopius de Plzna.* 8) Articuli congregationis cleri de Regno Bohemie per M. Johannem de Rokyczana congregati in modum synodi 1434. in festo sancti Jacobi Apostoli, ut pretendebant, cui contradixerunt Magistri. Igitur paullo ante Legationem Ratis-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1415

C O D I C E S

1416

Ratisbon. Articuli hi XVIII. instar Professionis Fidei haberit possunt, quae tamen non adrisit omnibus, ut e *Responsonibus* ad plures Articulos adjectis patet. 9) *Copia litere Bohemorum.* *Venerabilibus patribus Philiberto &c. doboribus et Magistris per venerandum Basil.* Concilium ad Ratisb. destinatis Also de Risenburg alias de wizeftiow supremus gubernator Regni Bohemie, Barones, Nobiles &c. Iterato instant per hos apud Concilium pro Calicis concessione posituri tunc omnes discordias, includuntque *Cedulam* porrigendam Patribus, qua restringi petunt Communionem sub una in Regno, et varia circa eligendos a se Episcopos. Datae in Civit. Prag. 8. die Nov.

Fol. 198. p. 2. Res Anni M-
CCCCXXXV. 1) Narratiuncula:
Nihil respondisse Concilium ad
praedicta, sed Imperatore petente
destinasse novam Legationem
ad Bohemorum Dietam indictam
circa Festum Valentini M. Nota
sunt Legatorum nomina. XXIII.
Jan. ait Haselbachius, qui in illis
fuit, in grauissima yemalis inclem-
entie aura iter arripuerunt, et
fere usque ad Wieniam ob pro-
funditatem inuisam niuium et ven-
torum rabiem ut plurimum in via
inuia nitendo 32. diebus sine mora
peruenerunt. 2) Responsum Al-
soni de Risenburg &c. datum a
Philiberto et aliis Legatis ante
suum hunc Basilea dicesum VII.
Jan. 1435. quo nuntiant se man-
data apud Concilium peregisse,
et nomine ejus apud Imperatorem

Februario mense praesto futuros.
3) Conclusiones infrascripte omni-
um communitatum et Ciuitatum
inclinatarum ad legem dominicam
in congregacione nunc (Februario)
in praga habita, que ad statim di-
rigantur Imperatori. Numero XX-
VII. sane durae. V. g. *Imperator*
cum suis Officialibus communicet
sub utraque specie ex eo, vt unus
alium non hereticet. *Imperator* nec
alias haberet Capellatum nisi com-
municaret sub utraque specie. Nullus
Theotonicus ad aliquam Ciuita-
tem, aut ad aliquod officium reci-
piatur, licet prius communicauerit
sub utraque specie &c. 4) *Acta*
in *Dieta Brunnenfi* 1435. Narra-
tio gestorum a feria V. post Pa-
scha ad 2 Junii. Periculum inter
alia Legatorum in via a latruncu-
lis in Eybeczschicz et aliis accitis
de Godin. 5) *Propositio Ambas-
iatorum sacri Basil.* Concilij ad Boe-
mos Brunne 2. Junij 1435. Inci-
pit: *Quibus vos alloquimur verbis*
nobiles spiritualesque viri, ymo qui-
bus verbis per nos nuncios suos &c.
Documentis porro omnibus hic e-
numerandis interseritur Narratio.
Ita post modo adlatum refert No-
ster requisitos, an vellent stare in
compaqtatis, quod tamen saltem u-
no verbo Volumus id coram omni-
bus affirmarent — sed obtinere non
potuimus. 6) *Responso Legato-
rum data Boemis in Brunna* 3. Ju-
lij 1435. ad Cedulam suam mis-
sam in Egram. Ad Consulatum
nempe, ut Ratisbonae polliciti fue-
rant. Adfirmant Legati in illa Ce-
dula multa peti ultra compactata.
7) *Responso Ambasiorum per*

D.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1417

P O L E M I C I .

1418

D. Auditorem (Palomarium) data verbo ad eorum proposita 4. Julij ad dicta quedam per Job. de Rokiczano. Acris disputatio inde orta, Bohemis quaedam, et inter alia: salvis priuilegijs et libertatis Regni, Compactatis inserere volentibus, et recusantibus Legatis, quibus haec vaga nimis et cuius interpretationi obnoxia videbantur, unde Sigismundus vehementer commotus 13. Jul. in memoranda haec verba prorupit: Ego video rupturam imminere tractatum et eandem vestris voluntibus aut mihi imputari, de quo magna sequetur effusio sanguinis, quam impedire possitis, si velletis. Per deum viuum! sunt aliqui, qui non fauent, vel non volunt me esse potentem, et ego ero potens et habeo hoc dominium et regnum; sed sentietis! Ego volo mori ut bonus katholicus et hoc habere dominium, quia etiam cum eis (Bohemis) sum colligatus, nec erit ruptura in totum. Quid fecit Concilium, nisi quod abstulit patrimonium pape, et scripsit mihi, ut dissimularem; scio, ubi sint literae; et conantur destruere imperium, aspernantur literas. Veniet dies, in qua curuabitur! Et, subjungit Noster, dum plura verba funderentur, questivit: Vbi est Concilium? et dicente sibi quedam: Basilee, subjungit: Vere non, licet crebris vicibus predixerunt: ecclesia debet precedere. Ego volo sequi, utinam hoc regnum deberem offerre ad altare, ut per hoc daretur pax Ecclesie! 8) Copia professionis finaliter conclusa. 9) Copia indulgentie legatorum

oblata 16. Julij. 10) Cedula copie data per Boemos de modo professionis sue. 11) Tenor copie quam Boemi desiderabant a nobis. 12) Articuli ab iis oblati Imperatori. 13) Responso data per Ambasatores domino Imperatori super materia proposita; id est super mox dictos Articulos ipsis communicatos. 14) Caput ad roborandum compagata, nomine Regni. 15) Tenor executionis compagatorum unitatis et pacis Boemorum, eodem nomine. 16) Forma Procuratorii Boemorum, id est Ablegatorum ad praestandam Concilio in Oratoribus ejus obedientiam. 17) Copia litere reuersalis indulgentie utriusque speciei, ab Oratoribus datae. 18) Prescriptio quam Boemi dicunt sibi factam Brunne per Dominum Imperatorem. Variae concessiones. 19) Responso Concilij data Ambasatoribus Imperatoris. Atque haec tandem extat Labb. T. XVII. col. 609. 20) Acta in Dieta Albaregalensi, quae vocati a Sigismundo Concilii Oratores Brunna Viennam reverfi 11. Dec. contulere. Narratio usque ad 22. 21) Cautio de stanndo in tractatis. Data a Oratoribus. 22) Similis data ab Imperatore. Hinc Narratio Documentis semper intermixta procurrit usque ad anni finem, lectu dignissima, et minutum docens, qua animorum contentione negotium istud concordiae agnum fuerit, Jobanne Roky- czana primas semper inter Suos obtinente. Fol. 223. Res Anni MCCCC-XXXVI. 1) Narratio a 1. Jan. eorum

1419

C O D I C E S

1420

eorum, quae adhuc in *Alba Regali* tractabantur, ubi Sigismundus 9. Jan. dixit: *Nos sumus concordes in omnibus, placuit dyeta in Iglavia et ad festum sancti georij.* 2) Promissum Oratorum Concilii, servaturos Compatata usque ad illud tempus, datum 10. Jan. 3) Simile Promissum Imperatoris 8. Jan. 4) Simile Alberti Ducis Austr. Georgii Archiep. Strigon. et Cancellarii, celebris nempe illius Casp. Schlickii. 5) *Acta in dyeta Iglauien.* 1436. Perducitur Dia-
rium a 5. Jun. ad 5. Jul. 6) *Tenor procuratorij Boemorum.* Idem, quo data est Commisso Pragae 1435. nunc renovata pro *Iglavia* 1436. 5. Jul. Ut in *Leibnitii Mantissa ad Cod. J. Gent. p. 141.* 7) *Tenor litere per nos* (Oratores Concil.) *date super firmationibus compagitorum*, ut *Leibnit. cit. p. 146.* 8) *Tenor cuiusdam litere testimonialis d. Imp. et d. Alberti.* Testantur se vidisse et in manibus habuisse Bullam plenae cum *Bohemis* tractandi et concludendi potestatis a Concilio suis Oratoribus missam, ut *Leibnit. p. 145.* 9) *Tenor alterius litere eorum de mandato.* Promittunt se usque ad Festum Michaelis a Concilio talem plenam Potestatem procuraturos, qualis huic Literae inserita est, ut *Leibnit. p. 143.* 10) *Tenor alterius litere.* Recognoscunt iidem Promissum Oratorum, quod Concilium *Bohemis* Bullam pro Communione sub Utraque daturum sit, ut *Leibnit. p. 153.* 11) Resumitur Narratio a 6. Jul. et exit in 20. tota manu *Hafelbachii*

negotiorum omnium participis exarata, mihi nullibi visa, nec fando accepta, cuique libenter diutius immoratus fuisset, nisi hoc in Operre de indicandis potius, quam edendis Monumentis ecclesiasticis res esset.

Fol. 237. Commentatio alia manu scripta, qua Autor ignotus commoda in utramque Remp. redundantia ex iis, quae *Iglaviae gesta* sunt, expendit et gratulatur. Ingreditur vero ita: *Magnas gratiarum actiones referre debemus omnipotenti deo, et letari et exultare, quoniam bohemi, qui tanto tempore abiecerant obedientiam sancte matris ecclesie, iam venerunt ad obedientiam &c.* Per singulos dein controversos Articulos ostendit, quantum contentionis ardor remiserit.

Fol. 239. Oblata per Ambasatores Boemorum sacro Concilio Basilien. in ipsorum abscessu ab eodem circa finem nouembris 1437. Sunt IX. illa *Petita*, quae leguntur Labb. T. XVII. col. 211. ubi tamen perperam anno 1438. adfiguntur. *Responsiones*, quae ibidem ordinatæ sed non datæ dicuntur, a Cod. nostro absunt; earum vero loco adjicit *Hafelbachius* brevem animadversionem in testa eorum consilia, quae luci clarius exposita fuisse ait in Documento sequenti:

*Fol. 240. p. 2. Responsio San-
ctissimi domini nostri pape p[er]ij (II.)
ad Bohemos Oratores Anno 1462.
Manu Hafelbachii biennio ante
mortem. Narrat Acta Legationis
hujus Cochlaeus Hist. Hussit. L.
XII.*

1421

P O L E M I C I .

1422

XII. et Jacobus Card. Papiens. Commentar. L. VI. atque ex eo Odor. Raynaldus T. XIX. apud quem Responsonis nostrae Capita p. 114. legas. Ipsa vero incipit: *Superioribus diebus cum audivisse-nus vos carissimi filij nostri Regis Bohemie Illustris &c.*

Fol. 247. Acta in quodam Conventu Taboritarum post acceptam a. 1434. cladem, ad quorum calcem fol. 256. p. 2. habetur: *Venerabili patri domino Przibislao Abbatii Monasterij Lucensis (sive Pruck Ord. Praemonstr. in Moravia nunc aboliti) et subditur: Re-stituantur Domino Pragensi Prepo-sito cum gratiarum actione. Liquet igitur, a quo cui communicata sint. Continent porro Plebani Taboritarum et unius de Juratis de tabor dicti Simonis Fabri uel Kowarz Consilia, quomodo adflictis rebus opitulandum. Inter alia pos-terior spe lactat: Quod Concilium Basiliense diu non durabit et quod in breui dissoluetur, et eciam scitis et vidistis alij oculis vestris, quod iste Imperator (Sigismundus) est senex homo et decrepitus, et super illum mundum plus respicit, quam super istum, et quod diu non viuet, et domini Barones terre sunt desides et hi sunt satis pauperes, — et theotunici de suis rebus cogita-bunt et nos obliuiscetur, et vngari idem facient &c. Et tunc sur-gendum et omnes destruendos es-se. Succedit his Schema Decreti emittendi ad Socios, et Convoca-tionis ad diem S. Thomae Apo-stoli a. 1435. in Civitatem Hradischt, cui praefatur Johannes Ro-*

bacz de Duba Capitaneus ejus Ci-vitatis. Omnia haec e Bohemico latina facta videntur. Per errorem Compactor ad fol. 251. Sententi-am Concilii Constant. contra Jo-hannem Hus inservit, prout legi-gitur Labb. T. XVI. col. 246.

Fol. 257. Articuli editi per magistros et clerum pragen. ac do-minos consules communitatum pragen-sium feria quarta ante festum sancti viti. Nempe VII. illi de Communione sub Utraque, quos refert Cochlaeus Hist. Hussit. L. IX. p. 335. male tamen anno 1441. adfigit, cum ad a. 1448. pertineant. Articulo ult. post verba: *non debet fieri*, Noster addit: *sed videat, ne ipsum dampnum con-sequatur*. Accedit continuo et ab eadem manu Dissertation, quae in-fit: *Corde credendum est ad iusti-ciam &c. et evincere nititur: plu-res et distinctas gratias recipi ab eo, qui Sacramentum recipiat sub utraque Specie.*

Fol. 261. p. 2. Crisis docta et solida Tb. Haselbachii cum Articulorum, tum Dissertationis praecedentis data, ut in calce: *Ex Wyenna Anno Dominice Natiuitatis 1448. in profecto sandorum angelorum hoc est sancti menzeslai martiris et Boemorum apostoli. In-cipit: Uetusta sapientis celebrata quoque sententia dino-scitur: Vbi non est auditus, ibi sermonem ef-fundere non congruit &c. Arripe-re se tamen calatum: quia pluri-mum tractatibus in hac materia presens exiti; partim nempe Ba-sileae in ipso Concilio, partim in obitis per Bohemiam et Moravi-*

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

U.

am

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1423

C O D I C E S

1424

am legationibus. Primum igitur singulos ordine perstringit Articulos, dein subjectae Dissertationis autoritates et rationes diluit. Ad Articulum ult. quo omnis Clerus Pragensis M. M. Johanni Przibram et Procopio de Plzna subjicitur, ait, exploratum se non habere, an praedicti Magistri oblatam potestatem acceptare decreverint. Interim esse, qui se in publicatione omnium premissorum articulorum in pretorio pragensi presentem fuisse afferuit, et scedula manu alterius predictorum scriptam, alterius vero palam ore prolatam et letam ac dominis Canonicis Castri pragensi oblatam, ut statim ad eam responderent, agitatione quadam non modica preuia et oculis perspexisse, et auribus singula clarius deprehendisse constanter me coram posito astruebat. E regione vero quandam excusatoriam unius antedictorum audiui Epistolam.

Fol. 289. Crisis ejusdem in Sigismundi Imp. Literas datas Bohemis et Moravis Albae Regalis 6. Jan. 1436. quae leguntur in Leibnit. Mantissa II. Cod. Jur. Gent. p. 141. Incipit: Sicut crebro lucus post gaudia, et post tenebrosa iubar solet accedere &c. Magna libertate Indultum illud plurimum dampnosum ymo uerius irrationale et scandalosum Ecclesie compellat, de quo interrogati Ministri suffusi rubore rem ipsam falsitate tegebant, que pridem emergerat in palam, quando et huius iniuritatis copie sparguntur per orbem &c. Sed enim, ut calx testatur, fuit hoc scriptum Wyenne

per T. de Haslach 1455. 24. Julij. Ceterum singulas concessiones in illis Literis circa Clerum et S. Coenam factas convellit.

Fol. 303. Epistolaris Ejusdem Dissertation VIII. Capitibus distincta ad memoratum fol. 256. Przbistuum Abbatem Monasterij in prugk prope Znoymam, quem columpnam in hijs oris inter caliginosos lucentem appellat, de Scheda sibi a quodam Sacerdote Bohemo ignota facie oblata erroribus plena, de quibus sententiam rogatus esset. Sunt vero errores hi: Nullum in peccato mortali existentem Ecclesiae Catholicae membrum existere; solos Praedestinatos esse membra Ecclesiae; Communionem sub Utraque esse de praecerto Christi et necessitate salutis. His igitur magno rationum et autoritatum adparatu obviatur ab exercitatissimo Pugile, qui incipit: Ipse Christus dominus Ecclesie sancte caput custos et sponsus &c. et subsignat: Wyenne Anno domini 1447. in festis sanctis Pentec. Exemplum istud primae meditationis est multum retractatum, interpolatum et subpletum.

Fol. 319. Ejusdem Responsa ad III. Punta eidem ad deliberandum proposita: I. An Johannes de Rokyczano possit licite et expedienter ad Ecclesiam pragensem pro Archiepiscopo confirmari? II. An expediat Ecclesie Apostolicam sedem communionem duplicis speciei Eucharistie pro Boemis et morauis confirmare? III. An priuilegia uniuersitatis pragen. sint pro presenti per sedem Apostolicam confirmantur?

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4704

1425

P O L E M I C I .

1426

firmando? Contra omnia haec ratiocinatur *Hafelbachius* ita ingrediens: *Petuit ymo verius mandauit vestra R^{ma} Paternitas super tribus punctis inire consultationem &c.* E quo, et mox sequentibus verbis: *Quia v. R^{ma} P. tanquam angelus pacis ad has partes missus est pro pace et unione dissidentium &c.* concludo, rem esse de *Johanne Carvajalio Card. S. Angeli a Nicolao V. a. 1448.* in *Bohemiam* ablegato. Atque hic definunt laboriosissimi Theologi nostri, quem non immerito *Gersonium aliquem Germaniae dixerim*, numerosa Monumenta, quae ignota longa nocte urgebantur, quamvis ad Historiam eccl. aevi sui non parum facientia. Ad ea compingenda adhibitae sunt laciniae elegantissime exarati Codicis Hebr. e C. VI. *Ester.*

DCXXIV.

U. 194 Codex chartaceus lat. Sec. XV.

Folior. 212. 4. maximam partem nitide scriptus, rubricis distinctus, et olim a *Thoma Hafelbachio* saepe laudato relietus Collegio B. M. V. Domus rubee Rose apud Fratres Predicatores, sed situ magnam partem exesus continet: I. Scriptum quoddam polemicum, quod Indiculus praevius de quadruplici *Missione* adpellat, quodque init: *Viri etiam perfecti et in studijs eminenter literati non debent sancta et iusta facta ad eorum officia non pertinentia exercere nisi forte specialiter vocati &c.* Notum est, liberam cuicunque Diacono

aut Presbytero Verbi Dei Praedicationem ab *Job. Wiclefo* adfertam, et ab *Job. Husso* propugnatam fuisse. Hic igitur Sententia catholica suis rationibus stabilita breviter proponitur, et mox: *Sequitur Scriptura in oppositum collēda — — Reliquum Rubricae deperiit, sed Textus incipit: Quidam verbum dei pro libito suo alligare volunt, et mox citatur Augustinus ad *Orosium de quadruplici Missione*, qui cum eodem modo citetur ab *Husso* in *Defensione quorundam Articulorum Job. Wiclefi T. I. Opp. edit. 1715. p. 143.* f. vix erravero, si hanc quoque *Scripturam ad Hussum* referam, quamvis ignoratam ejus Editioribus. Uferat Virum interdicta praedicatio, et frustrata adpellatio *Romae*, unde in eam valde acerbus est; *ibi enim, ait, primo ornatu meretricio vestitus est Silvester per Constantimum.* Verum, ut dixi, putredo magnam partem depasta est.*

II. fol. 8: *Incipit sermo Magistri Bertoldi de Wyenna de assumptione Marie virginis.* In illud: *Gratia dei sum id quod sum.* I. Cor. 15. Initium: *Prestantissimi Doctores &c. Vas electionis paulus predictor veritatis et doctor gencium &c.* Bertboldum Tyrolensem et Norimbergensem in Scriptoribus nostris Acad. reperi, nullum vero Viennensem.

III. fol. 17. *Responsiones M. Hus contra M. Stanislauum Professorem theologie.* Ineunt: *Jam restat ad scriptum magistri Stanislai de Znoyma doctoris theologie accedere*